ta que retro sunt obliuiscens, in sola requiescit expectatione pro-
missorum. Que cum sit meditacio eternitatis, siquidem que promittuntur
eterna sunt, longanimitatem alit et perseuerantie dat uigorem.
Proinde iam facile est quatuor ista hec quatuor illis apostoli assignare dum
longanimitatem comprehendit meditacio promissorum, latitudinem re-
cordatio beneficiorum, sublimitatem contemplacio maiestatis, profun-
dum inspectio iudiciorum. Querendus adhuc fuerat qui nec
satis adhuc inuentus est, nec queri minus potest. Ad orando for-
te quam disputando digne queritur et inuenitur facilius. Proinde
is sit finis libri quinti, sed non finis querendi.

Liber sancte marie de berge

Explicit liber quintus de consideratione beati Bernardi abbatis ad Eugenium papam

Opusculum S. Bernardi Abb. De Contemptu mundi seu de vita & moribus Religiosorum

Ut tibi dilectissime presentes exhortationis scedulas destinarem,
que ociosa esse non patitur, nimirum credens omnia et omnia sperans
caritas persuasit. Ubi sane non tibi me propria tradidisse putes, nec
tamquam ista suscipias, sed e multis sermonibus patrum nostrorum
quorum digna satis laus est in ecclesia, que huic uidebantur apte nego-
tio, nouimus decerpsisse sententias et sub una utcumque formula redigen-
do, copiosi cuiusdam declamatorum sermonis instar hunc tue dile-
ctioni edidisse libellum. Hoc nimirum scribendi genus ad persuaden-
dum efficacius arbitrabar, quod soleat amplius mouere lectorem uiuidas
magis uoces quam mutos apices representans. Ceterum quam suspecta
michi ignorantia propria, propriaque obliuio est, hortor et moneo ut si qua
deprehenderis digna reprehensione ipse ea corrigere studeas aut si-

id forsitan ex humilitate refugis. tamen saltem que queque te mouerunt non dissimules amicabiliter intimare. atque id quid de sententia dixerim. Nam de uerbis erit forsitan inuenire non nullos ad quorum aures si uenerint subsanneant ea dicentes. Quis est iste inuoluens sententias sermonibus imperitis. Verum nil tale tamen super tua eruditione reor uerendum. Quippe et metum hec et pudorem suspicione carens caritas foras mittit. affectum nimis qua uerba ni fallor pensabit amicus. presertim quod non ostentationis sed edificationis edere paginam cohortatum. optans magis si possibile uidetur et sine uerbis hec imprimere cordi tuo. Faciat hoc qui inuisibiliter operatur in cordibus electorum et pia dignatione sua suam hanc uocem reputans uocem ei uirtutis et efficatię largiatur. Agit enim quod potest caritas operosa opportune instans fortassis et importune. Nulla sane huic operi idonea magis occurrit digniorue materia quam euangelica lectio. ubi felicissimum illud symonis et ihesu eulogium continetur.

Hanc suscepi libuit sed exhortationis gratia quam expositionis. ut ex ea scilicet sermonis occasio sumeretur. Sed et sententiis breuibus distinguere studui lectionem. ut distinctio ipsa fastidium non admittat.

.i. De colloquio symonis et ihesu

.ii. De relinquendis omnibus

.iii. De eo qui iuga boum emit. v.

.iiii. De multiplici diuino uictorum.

.v. De duabus sanguisuge filiabus.

.vi. De diuiciis patrum ueteris t.

.vii. Quomodo incessit inter aquas petrus super aquas.

.viii. De remedio imperfectorum.

.ix. De periculo clericorum.